

P V I S

1 6 1 8



- |   |   |
|---|---|
| I. Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptus die.   |   |
| II. Beremanni paraphrasis Psalmi. Natur, 121. 91. 123. 124. |   |
| III. Beremanni paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.            |   |
| IV. Beremanni paraphrasis Psalmi 08.                        |   |
| V. Beremanni Epipemphion Psalmorum 91. 97.                  |   |
| VI. Beremanni Psalmi. 104. 0. 19.                           |   |
| VII. Polletari Paraphrasis Prometei Ione                    | XXIX. Eusebii Johanni Ernesto                   |
| VIII. Munderphii paraphrasis Ione.                          | capit. Anhaltino v. Alberto Voite dictus.       |
| IX. M. Iacobi Gregorii Jonas.                               | XXX. Angelii ad Barthelemy de Wschmitz.         |
| X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.                     | XXXI. Memorie Damolii Diepholdii.               |
| XI. M. Theodori de Nativitate Christi.                      | XXXII. Abrahami Cremeri de preemptione ad Robm. |
| XII. Wiltzeri Ode de Redemptionis Obere.                    | XXXIII. Propemptica Fyfelio et Cremero dicta.   |
| XIII. Optii de Peccatu Christi ad Inferos.                  | XXXIV. M. Victori, cum renuntiaretq. Rector.    |
| XIV. Domarii Heptas simulacra Resurrectionis.               | XXXV. Ode Sapphica in Doctores Honoratus        |
| XV. Sfortiorib. ubiq. impudentissimis.                      | Fyfelii &                                       |
| XVI. Trautmanni instructio p. vero Lutherano.               | XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cram           |
| XVII. Praetorii Epistola Germaniae ad Electores.            | XXXVII. M. Bernmanni in honorem Magister        |
| XVIII. Moiti & Ruma ad Christianum Pr. Anhalt.              | rii Lipsensis XX juvenum.                       |
| XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. An.                | XXXVIII. M. Rottii in Magisterium Haberlandi.   |
| XX. Henrici ab Eichen ad Maunicium Typog.                   | XXXIX. In Magisterium Copenii                   |
| XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand.                    | XL. Bethmanni Herdesiani.                       |
| XXII. M. Amlingi <sup>es. 1708</sup> Statulatio in Natalem  | XLI. Christiani Vogleri.                        |
| Rudolphi Principis Anhaltini.                               | XLII. Abrahami Theopoldii.                      |
| XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. An.                    | XLIII. M. Copenii Gratiani. Titio in Magister   |
| XXIV. Beremanni Eclogae Rodolphus.                          | XLIV. De Dignitate Conulari Trevesi.            |
| XXV. Bromii Nuptis ratis Rudolphi Pr.                       | XLV. De Dignitate Nuptiarum Gelami.             |
| XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptis                              | XLVI. Apocryphorum Polidionum sigula.           |
| eiusdem.  | XLVII. Nuptis Petri a Jena.                     |
| XXVII. Parentalia Augusto Electori a                        | XLVIII. M. Pucmeri.                             |
| D. Maiore habitata.   | XLIX. M. Richardi.                              |
|   | L. Wolfgangi Hanen.                             |

Ec. 11

<sup>XIII</sup>  
T V M V L V S

12  
Et descensus ad Inferos, Do-

mini ac Salvatoris nostri I E S V C H R I S T I,

Victoris & perruptoris glo-  
riosissimi,

A D

GENERIS NOBILI-

TATE CLARISSIMUM, ERVDITA

PIETATE ET OMNI VIRTVTVM

genere excellentissimum: integritate, fide, & autoritate con-

spicuum: Amplissimos, eruditione, prudentia & consilijs pre-

stantissimos, Dn. HIERONYMVM à KOCKERITZ in

Vvalda: Dn. IOHANNEM MOLLERVM questuræ

Haynensis præfectum fidelissimum: Dominos Consules totumq;

laudatissime Reipub. Haynensis ordinem senatorium,

Dominos & Mæcenates suos obser-

vantissimos.

HIERONYMVS OPITIVS

Camicensis.



VVITEBERGAE,

Typis Zachariæ Lehmanni,

Anno M. D. XCIII.

XIII

Erklärung des Inhalts

der in dem Buche

enthaltenen

Abhandlungen

von

Dr. phil. h. c. h. G. O. S. v. S.

in Leipzig

im Drucke

der Buchhandlung

von C. F. Schmidt

in Leipzig

im Jahre 1811



Verlag von C. F. Schmidt  
in Leipzig





Esper erat, Phoebusque iterum se tingere ponto  
Tendebat, densæque simul de montibus um-  
bræ  
Cedebant; tandem Eoo properabat ab orbe  
Lucifer, inde nimis *CHRISTI* tristatus  
acerba

Morte redemptoris Titan, candore negato,  
Protinus exurgens lustrabat lampade terras.

Iamque dies aderat, totum celebranda per urbem  
Iudæis, illa siquidem, Pharaone subacto  
Hoste cruentato, tandem longo ordine quondam  
Transierant rubrum patres impunè per æquor.  
Quod ne sacratum feralia funera festum  
Incestent, pietatis opus, persolvere iusta  
*CHRISTO*, cuius & arbitrio stant intima terræ  
Viscera, suspensum corpus seponere terræ.

Hic animi fidens *IOSEPH* Arimathius heros,  
Consiliis clarus, mirum, ditissimus agri,  
Discipulus *CHRISTI* tacitus, voce audet adire  
Supplice *PILATVM*, nec non miserabile corpus  
De cruce suspensum primus petere: Ille, furori  
Me turbæ Isacidûm cœco, cœlumque fretumque  
Testor, ait, nimium perversa mente volentis  
Interitum, opposui, memetque per omnia verti.  
Nil equidem, culpa vacuum miseratus, inausum  
Liqui, nil non tentavi ut fallacibus ausis  
Eriperem, certè nil voci iræque peperci,  
Nil somni vidi, tanti mihi crede, laboris  
Tantæ molis erat captum dimittere *CHRISTVM*.  
Verum, si qua fides superest, mihi nulla dabatur  
Invito quamvis, turbæ exuperare potestas  
Cœcum consilium, clamoribus atque procellis  
Dehinc populi assensu fractus, sed crimine tanto  
Me prius intonem solvi; ne forsan & ipse

▲ 2

Funere

Funere felici, & quondam spoliarer honesto,  
Impia funesto pendat gens sanguine pœnas,  
Ipsos supplicium maneat, maneatque nepotes.  
At nunc est tutum per me *I O S E P H E*, quod optas,  
Vade age, & extremo decorato funus amici  
Officio, concedo volens ultroque remitto.  
Dixerat: ille gradu volucris properabat, amico  
Responso fretus, donato & corpore amici  
Lætus, se iungit comitem huic *N I C O D E M V S*, & ipse  
Nocturnus *C H R I S T I* famulus, turbatus amici  
Funere, flecebat paribus vestigia curis.

Iamque propinquabant scutato milite cincto  
Clivo, cui monti nomen fecere priores  
A caluis, subito sociorum frigore membra  
Solvuntur, *P E T R V S* sinuosis flexibus actus  
Nunc huc nunc illuc per consita rura latebat  
Non erat, excepto *T A N O*, res mira, fidei,  
Officium qui triste suo munusque supremum  
Præstaret Domino, corpus qui conderet urna.  
Matronæ astabant tristes, lacrymisque rigantes  
Malas famineis, ululatibus arva replebant.

Nec mora, conscendens feralia ligna *I O S E P H V S*  
Flebile demittit corpus, terræque reponit,  
O quantum *C H R I S T O*, quantum mutatus ab illo:  
Qualis tum *M A R I A E* genitricis amarus amaror?  
Quos quæso gemitus dabat, illacrymabile nati  
Corpus conspiciens, tabo vultusque cruentos  
Cernens, & barbam, spissoque cruore capillum  
Squallentem, & membra horronis lacerata flagellis,  
Semianimis venit ad reliquas, gnatique repositi  
Concidit ad tumulum, & tandem vix talia fatur.  
Hæc ô nate, mihi matri promissa dedisti  
Discedens; gelidum iam iam penetravit acutum  
Cor ferrum, veluti sacrato Flamine motus

Ante

Ante obitum *SIMEON* supremaque fata canebat.  
O multum felix, omnique ex parte beata  
Si vel in hunc casum nunquam servata fuisset  
Horrendum, hora vel exitii nos una tulisset.  
Dixit, plura dolor prohibet, guttæque subortæ  
Concidere exanimem faciunt, revolutaque tandem  
Surgit, & illacrymans scopuloso confidet antro,  
Non minus & reliquæ matres pietate celebres  
Quæ sese addiderant *CHRISTO*, miserabile corpus  
Flebant, hinc fletu sylvas rupeſque sonare,  
Cunctaque flere putes loca lamentabile lethum.  
Omnia naturæ præpostera legibus ire  
Visa, creatorem querulo ingemuisse dolore.

Dein corpus gestant, gelidoque fluentia tabo  
Vulnera, confossum divoque in pectore vulnus  
Lymphis purgabant calidis, & peste cruorem  
Siccabant unda mixtum, stactesque liquore  
Vngebant, aloës guttas per vulnera quina  
Stillantes, molli corpus lodice tegebant.

Non procul è laxo vivo, *IOSEPHVS* in horto  
Excidi tumulum noviter curaverat amplum,  
Hûc, Nicodemo operam fidam impendente labori  
Ritè sui portat *IOSEPHVS* funus amici  
Hos tremulo sequitur passu mæstissima mater,  
Hanc reliquæ matres lacrymarum flumina largè  
Fundentes, gressu nimium titubante sequuntur,  
Extremumque pio *CHRISTVM* comitantur honore,  
Pangentes querula lugubria carmina voce.  
Ipsi immane antro subvolvunt obice saxum.

At Solymitarum proceres nova cura fatigat,  
Aerias *CHRISTVM* rediturum ad luminis oras  
Audierant, totum lux quando refulserit orbem  
Tertia: quod nimium veriti, custode tueri  
Iusserunt tumulum, socij ne fortè sepultum

A 3

Auferunt,

Auferrent, densa defensi nocte, suisque  
Complerent totum falsis rumoribus orbem.  
Barbara pyramidum fileat miracula, Amasum  
Evulsum cesset Memphis memorare sepulchro,  
Omnia nam dudum, si vera ea fama, ruinam  
Traxerunt, multò iam splendidiora sepulchri  
Sunt monumenta **DEI** Sobolis procerumque parentis.  
Hùc mecum illustres animæ componite gressum,  
Nam **CHRISTO** meritum, par est, renovemus honorem,  
Sanguine qui patriam nobis, & cœlica regna  
Iam peperit, quibus exciderant plus fraude parentes  
Anguina primi capti, rursusque reclusit  
Obstrusum prius Elysiùm sedesque beatas.  
Nec procul hinc Solyma nobis quærendus in urbe  
Est tumulus **CHRISTI**, **CHRISTVM** quæremus **olympo**,  
Reliquias sacri verbi documenta recondunt.  
Quin agite, hùc violas, calathis diffundite plenis  
Lilia, Narcissos expromite, ferte hyacynthos,  
Mœrentesque alios tumulo superaddite flores.  
Abstulit ille malum, malo malaque paratum,  
Abstulit, atque imæ posuit sub viscera terræ.  
Exitii æterni quicquid super, ille profundo  
Abdidit, & veteris contagia tristia culpæ  
Sustulit, & tumulo morrem mala cuncta reliquit.  
Eia age, quisque suæ maculæ commissa fatendo  
Fletibus ad tumulum **CHRISTI** plangamus obortis,  
Pròh dolor, insonti **CHRISTO** horum causa malorum  
Nos fumus miseri, ligno suspendimus ipsi.  
Cernentes melius, non deteriora sequamur  
Vitæ, obtestemur **CHRISTVM**, veniamque petamus.  
Sic tantis meritis meritum testemur honorem  
Par est, sic prodest lacrymis invisere bustum.  
Iam transacta salus mortali in corpore **CHRISTI** est  
Omnis, nunc restat stygios ut victor adiret

Hostes,



Hostes, Tartareasque simul profterneret ædes.  
Dumque vices tumulo vigiles, noctesque diesque  
Exercent, illo credunt, se claudere **CHRISTI**  
Corpus, at interea rigidum descenderat Orcum.

Haud animo exciderat Phlegætontia monstra regenti,  
Iam propè adesse diem, rerum quo maximus ultor  
**CHRISTVS** Cerbereis iam nunc succederet oris.  
Vastaturus eas: mundi regnator opaci  
Id metuens, procul hinc parat hanc avertere cladem,  
Concilium horrificum vocat, atque repente ministris  
Imperat: Ergo domus Erebi nunc ianua fumans  
Horrendum insonuit, sonitu sonuere profundi  
Infolito fluvii, umbriferæ insonuere cavernæ.  
Regis ad Imperium tremebundæ ad limina portæ  
Astant lucifugæ Furia, scelerisque potentes.  
Mox fera turba ruit, candentia lumina flammis  
Gestans, & rutilum spirans è naribus ignem.  
Tisiphonem quidam nocuos pro crinibus ignes  
Impexam referunt, Scyllam pars illa biforinem,  
Harpyias alii, & Lernam, tristemque Charybdim.  
Os, oculos, nares, caudamque habitumque Chymææ  
Exhibet, atque coquit curas pars altera, & iras.

Maxima pars, **CHRISTVM** qui devincire fuere  
Iussi, ac infonti, sacri poscente Senatus  
Collegio, horrendam multa vi & robore furcam  
Firmare, & tandem, mandante ita præfule, **CHRISTVM**  
Sublimem rapere, atque alto suspendere ligno,  
Hos prodire, nec à tergo certare iubebat.

Cerberus ante alios, monstrosus janitor Orci,  
Non procul hinc ex adversa sibi parte virum quem  
Conspiciens hæret dubius, defixus in illum  
Solum oculos, tacita hæc secum sic mente volutat:  
Qua me fraude suum potuit celare, modovè,  
Adventum: qui se potuit simulare tot horas:

Alloquitur

Alloquitur tandem dictis, & talia fatur:  
Heus quæso prodi, nunc proditor optime prodi,  
Prodi ruffe, inquit, Iudas mihi namque videris.

Dixerat: illius primùm tremor occupat artus,  
Mulsitat, atque inter sic spemque metumque moratur.  
Ocyus accedunt tollentes brachia, Regis  
Doriphori, & se inter multa vi denique Iudam  
Invitum quamvis Plutoni obrudere tentant.

Quò magis hi tentant, furtim subducere sese  
Cogitat ille magis: tandem indignatus iniquè  
Irruit in medium dux Cerberus agmen, & illum  
Sublimem cervice rapit, sic desuper illum  
Sternit humi, quassatque pede, exanimemque relinquit.

Mox animum recipit, postquam se Cerberus inde  
Moverat, & recto ad Plutonem tramite tendit:  
Inter eundum illum trepidis circumvolat alis  
Spectandi studio cœtus de morte superstes.  
Et postquam Ditis ventum est ad regia tecta,  
Protinus ante pedes Plutonis poplite flexo  
Succumbit, voce hæc tandem quoque supplice fatur:  
Salve rex, salve rigidi moderator Averni,  
Qui, tibi qui faciunt se averfa mente rebelles,  
Corripis, atque atris speluncis abdis, & illos  
Aeternis premis imperiis, & fulmine terres.  
Accessi nuper, spectare palatia plus quam  
Regia, ut auferrem nostro haud indigna labore  
Quem plus quam Stygia suscepi fraude doloque,  
Præmia; namque inter scelerisque doli que potentes  
Tot, paucis nummis & proditione nefanda  
Vnus eum potui sperato opponere letho.  
Vix ingressus eram, Phlegetontis portitor ille

Me

Me miserum indignè nimium tractabat, & indè  
Sublimem raptum, exanimem sternebat arena.  
Quod scelus, at præstat dictis imponere finem  
Præmiaque auferre ingenti sudore parata.

Dixerat, at Pluto quinquaginta oribus ignem  
Efflans horrendum, centenaque brachia jactans,  
Hospitis adventum certo dignatur honore:  
Venisti tandem, nostra, gratamur, in aula  
Expectate diu, impietas laudataque virtus  
Perfidia vicit tandem, hinc vix proditor unquam  
Vinces: inspiravi animo his de criminibus anguem  
Vnum, qui pietate procul longeque remota  
Redderet inflatum parvi cupidumque lucelli  
Efficeret pectus; sic sic cum coniuge rebar  
Et socijs te posse capi, nec provida cura  
Me mea, quantumvis tibi res ingrata, fefellit.  
Quam metui, mutata tuam sententia mentem  
Ceptis, egregijs ne te deverteret ausis.  
Per Phlegetontæas undas Stygiasque paludes  
Præmia digna ferēs, per stagna profunda furentis  
Cocyti capies amplissima munera, digna  
Et scelere, atque ausis tantis, per numina juro  
Trina, per hanc dextram; per regia denique sceptrā,  
Sic ait, atque atrum jubet hunc detrudere in antrum  
Quam canis ille triceps redimitus atrociam colla  
Anguibus innumeris, manes sine fine furenter  
Territat, & flammās rutilantes evomit ore  
Tergemino, atque illas vivo cum sulphure miscet.

Non procul hortus erat spaciosus, amœnus, & amplus,  
Quo se terrificus multis cum millibus Orci  
Contulerat domitor, curarum percitus æstu.  
Stant circum famuli, solio sedet ipse nitenti

B

Sceptrā

Sceptra tenens, medioq; ex aggere talia fatur:  
Heroes Stygij generoso sanguine creti  
Dilecti populi, memores vos ante malorum  
Esse puto, meministis. & est meminisse necesse,  
Quas quondam pugnas, dubio quam Marte nefanda  
Prælia miscuimus cœlo, cum Iuppiter almus  
Sceptra timens, metuensq; sibi nobisq; potitis  
Rerum, nos cœlo Stygium detrusit ad antrum,  
Ille ipse arce sedens celsa, plus occupat æquo  
Cœum, atque atque nunc numine cuncta gubernat;  
Nobis (grande nefas, scelus atque injuria) vastas.  
Et sine sole domos tristissima tarara liquit.  
Vix datur æthereas sedes cœlumq; tueri  
Ulterius nobis, & sic hinc inde reverti.  
Rex Superum, sibi ni timeat, metuatque ruinam  
Ne sua regna trahant, socijs memetq; receptis,  
Iamdudum socios in pristina regna vocasset,  
Iamdudum imperij claves & sceptrum dedisset,  
Aeternæq; omnes nos poscens fœdera pacis  
Dudum excepisset noviter, cœloq; locasset.  
Et licet à nostris socijs hoc posceret, ipse  
Haud tamen in leges sanciti fœderis irem,  
Hoc caput, hoc regale decus diadem. q; restor.  
Nec nocuisse semel satis est, verum in super altum  
Præstruere exitium nobis, sopitaq; bella  
Est animus renovare, Erebiq; evertere sedes.  
Nempè erit aligeris res cum de fratribus uno  
Nobis, aut narum, qui cum certavimus olim  
Dux fertor, mittet nostras qui funditus arces  
Vastabit, nisi eum latebroso arcebimus antro.  
Ille sub intactæ descendens virginis alvum,  
Magnum opus & mirum, fragilem cum corpore massam  
Assumit.

Assumfit nuper, memini, mortalia membra.  
Sed nunquam potuit, dum fata Deusq; sinebant  
Vivere, victricem domito me auferre triumphum.  
Ipsi ego longævo quæfitos temporis usu  
Mille dolos struxi, sceleri scelus insuper addens  
Nil intentatum liqui, fraudesq; dolosq;  
Profecisse parum, constat, sunt omnia frustra,  
Et quæ tunc rebar tutissima vincla nocendi,  
Cum vehemens ardor suaderet sumere panem,  
Et dapibus sedare diu jejunia passa,  
Ipsam huic opposui memet sub montibus istis,  
In tot portenta, in tot commutatus & ora,  
Ille quidem fratris germani pellerem mortis  
Vires non potuit, quando est suspensus in altum  
Nuper, sed nostras illum evertisse cavernas  
Posse, etiam veteris quondam monumenta Prophetæ  
Testantur; memini benè, nam meminisse iuvabit,  
Quæ quondam spaciens longè lateq; per hortum  
Dixerit Elysium, nostris se sedibus olim  
Venturum excidio; ac licet hanc avertere pestem  
Non datur omninò, conari nemo vetabit.  
Qua ratione queat fieri, auscultate, docebo:  
Pars aulae portas triplici circumdate muro  
Et vallum vallo, murum superaddite muro,  
Ex solido ferro solidoque adamante catenis  
Cingite pars claustrum; extremi sub culmine muri  
Mittite pars flammis ardentia tela coruscis,  
Flammarumq; globos violentum mittite in hostem.  
Pars, ne cesset opus, reliquis nova tela ministret.  
Ipse ego, si valeat fortasse irrupere portas,  
Propsectum eripiam ipsi, ipsum caligine multa  
Involvens penitus, densis aulamq; tenebris.

B 2

Ite,

Ite, Cavis expectantes è turribus hostem,  
Ite Viri, inferni dubiis succurrite rebus,  
Nunc validis humeris opus est, nunc pectore firmo,  
Præcipitate moram, & fesso succurrite regno.

Vix ea fatus erat, volucres illi ocyus omnes  
Incumbunt oneri tanto, pariterque laborem  
Sortiti, ingentes muris subvolvere moles  
Incipiunt alij, septenis orbibus orbes  
Impediunt alij, densas adamante catenas  
Firmantes solido, vectes & robora quidam  
Apportant, redduntque alijs, opere intonat Orcus,

Iamque alijs alij accelerabant partibus aulae:  
Ecce adventabat muris, & limina portæ  
Intrabat CHRISTVS, divina luce refulgens  
In tenebris, trepido ipsi omnes clamore vocabant;  
Ferte citi flammis socij, date spicula, muros  
Scandite CHRISTVS adest, nunc nunc trucidate furenter.  
Approperant flammis telisque, & mœnia complent,  
Et subito jaciunt manibus flagrantia tela.  
Sed tanti Herois manibus timor excutit arma  
Ipforum, fugiuntque metu, murosque relinquunt.  
Ille aperit portas, vectes postesque morantes  
Depellit, solido firmataque robora ferro  
Effingit penitus, tandemque potenter in aulam  
Arietat infernam, concussaque mœnia vertit.  
Sic olim Simson rapuit cum stipite postes  
Deque loco motas humeris (mirabile dictu)  
Portavit valuas, & celsa in monte locavit.

Nec mora perumpit, multoque extracta labore  
Mœnia dirumpit, sonitu tonitruque repente  
Procumbunt collapsa nimis citò: deinde fragore  
Intonat aula intus permulto, atque antra profunda.

Sic

Sic patet illa domus, monstris habitata patefcunt  
Atria terrificis, patet atria janua Ditis.  
Hic primum Satanam licuit fpectare frementem  
Atque indignantem, fugit & caligine cæca  
Involuit penitus fedem, densisq; tenebris,  
Lucifugi locj subita formidine abacti,  
Speluncis, CHRISTI veriti sub corpore lucem  
Occultant feſe, & caudas tellure recondunt.

Sunt Hecates natæ geminæ, quarum una furentes  
In ſclerum autores plagas exercet acerbis.  
Hic loca prima manent, qui numina Vana colentes  
Poſt habuere DEVM verum, rerumq; parentem,  
Aſtabant iuxta Diuûm longo ordine centum  
Fictorum effigies, argento auroq; paratæ.  
Omnia terrigenis fimiles, viſumq; habitumq;  
Os, nares, oculos, auresq;, manusq; pedesq;  
Uſus non aderant illis, os namq; gerebant  
Piſce magis mutum, nec odorabantur odorem,  
Luminis uſura mediâq; in luce carebant,  
Nec voces obſtructæ aures haurire rogantis  
Auxilium poterant, motu neque brachia ſecti,  
Deniq; nec manibus poterant præſtare, nec ullum  
Officium pedibus, ſed muta & ſurda manebant  
Idola, humana conſtata atque arte parata.

Post ſequitur cœtus, perverſa caterva, malorum  
Colluvies, terris qui dum calor oſſa tegebat,  
Impia de CHRISTO fuerant documenta locuti  
Illic Romulidum proceres quot ſanguine natos  
Cernere erat? triplices quibus omnibus igne coronæ  
Tempora fulgebant circum diadematis inſtar.  
Hos medios inter Stygij incurvata Leonis

B ; Papa

Papa Leo ad genua, argento qui nuper olympum  
Vendiderat, iacet in fenix, coelumque tueri  
Optat & erectos ad sidera tollere vultus:  
Quos omnes, puri argenti grave pondus & auri  
Monstrans Tetzelius lachrymis affatur obortis,  
Talibus & dictis moerentia pectora mulcet:  
O focii, ô proceres, ô Papa verende per ævum  
Quo nos cunque feret monstroso Cerberus ore  
Ibimus, ignaros vos non reor ante malorum,  
Nil desperandum Duce Cerbero & auspice nobis,  
Per varios casus ferimur, per opaca locorum  
Tendimus ad superos, sedes ubi Cerberus audax  
Promisit, nunc ô fortes peioraque passi  
Mecum sæpè viri, nunc sulphure pellite curas,  
Cras, cras, quando Charon dirus nos præviis ibit,  
Et Phlegetontæum Stygiumque iterabimus æquor,  
Donec quisque potest cursu contingere metam  
Quâ horrido sonitu tenebrosus personat Orcus.

Ponè cucullati derafo vertice fratres  
Stant pecus ignavum, telluris inutile pondus.  
Hinc scelerata cohors, CHRISTO contraria turba,  
Nempe Suitarum, olim è scrofa matre fatus grex,  
Turpe quidem dictu fateor, sædumque relatu  
Mentibus esse piis, sed si modò vera fateri  
Fas est, atque licet componere sordida puris:  
Nam veluti, assuetus lurulento vivere cæno,  
Irruit in fordes, lautas & delicias sus  
Hinc sperat, pellitque sitim graveolente lacuna:  
Haud secus ille Suitarum putridissimus ordo  
Stercora Pontificum mellito infecta sapore  
Gurgirat, ex animo liquidi sacra flumina fontis  
Præteriens, quin dum renuunt socialia iura  
Legitimi thalami, contenti cælibe vita,  
(Quos forsan illis mores pia scrofa pudicos

Atque



Atque pudicitiae docuit rarissima dona,  
Incestant thalamos, turpissima castra sequentes  
Impurae Veneris, veriti nil, Visere scorta.

O casti salвете Sues, salвете Suitae,  
Sic vobis suibus placitum est, in caelibе vita  
Blanda voluptatum toties invisere castra.

Non postrema tenet, suibus sed proxime oberrat  
Gens inimica DEO, turba infensissima CHRISTO  
Quae sacra in coena meritum furatur honorem,  
Omniaque in penus verborum sensa retorquet,  
Et satis audacter non affirmare veretur,  
CHRISTVM morte sua multis mortalibus agris  
Consultuisse parum, magis obtrusisse gehenna,  
Horrendum auditu, verum his immanibus ausis  
Quid tibi, porrecta fatearis fronte, videtur  
Colluvies merita haec? feret haec impure? regamus,  
Si DEVS est verus, verum quem dicimus omnes,  
Ob scelus hoc sceleratum illam turbabit ad oreum.  
Ergo, qui CHRISTI de nomine nomen habetis,  
Patre satam Calvo calvam, cane penus & angue  
Si qua salus superest animae, evitate phalangem.

Inde Tyrannorum furor, atque immensus habendi  
Ardor, qui quondam in populum, qui iussa Tonantis  
Spargebat, CHRISTIQUE a nomine nomen habebat,  
Vertebant vires, penitusque excindere sanctos  
Ense rati vates, in eos fera bella ciebant.

Hinc qui divitiis noctesque diesque parandis  
Incubere, ovis veluti gallina, suosque  
Omnem in nummos spem, vitam posuere per omnem.

Hinc qui caede peracta hominum, vivere rapina,  
Illinc, quos quondam scelerum mens conscia adegit  
Aut ferro aut laqueo sceleratam abrumpere vitam

Infelix miserum, ante alios Iscarius ille  
Iudas, quem caput horrendis innexa colubris  
Ultrix Tisiphone (visu miserabile) flagris

Non ces-

Non cessat quaterere insultans, sævisq; ferirē  
Continuò loris; reliquos vocat insuper omnes  
Fratres & socias, eque antro talia fatur:  
Discite iusticiam moniti, & non proderet **CHRISTVM**,  
Admonet, & tristi sedet æternumq; sedebit  
Antro, quò spectans, divino in lumine **CHRISTVM**  
Conspicit, & tandem flagris proclamat adactus;  
Funeris heu, tibi causa fui Rex **CHRISTE** redemptor,  
Imperio mortis tradens te crimine falso:  
Te quoties, **CHRISTVS** contra, revocare nefando  
Et plus quàm Stygio cepto, meminisse quod ipsum  
Te reor, ex animo volui, tibi tartara nigra  
Mortemq; æternam minitans, sed & omnia frustra,  
Si tunc his ausis veniam pacemq; rogasses,  
Nec discessisset prorsus fiducia nostri,  
Ex animo, credas, omnem tibi condonàssem  
Culpam, perpetuò neque jam te poena maneret:  
Vulnera per quina hæc juro tibi, testor aperta  
Corda, nec invidiæ stimulis adductus acerbis  
Exitio lator, doleo magis atque gemisco,  
Haud leve delictum gemini admisere latrones,  
Quorum sunt trabibus meritò suspensa probrosis  
Corpora, sed quia deflebat scelus usque nefandum  
Alter, jam moriens supplex veniamq; rogabat,  
Non modò non omnem culpam huic in tempore certum est,  
Donavi, verum mecum in coelestia regna  
Sumi, ubi gaudia sunt, ubi spes, ubi summa voluptas.  
Ah modò cognoscant, quotquot facinusq; scelusq;  
Quotidiè admittunt, & multa mole premuntur,  
Ah modò contrito veniant veniamq; precentur  
Corde, lubens illos facilisque hoc fasce levarem,  
Scilicet iste meus labor est, ea cura salutis

Vnum

Vnum me stimulat, miseris succurrere lapsis.

Sic ait. ille dolens rumpebat pectore questus

Atque indignato suspiria corde trahebat.

CHRISTVS ad Elysiū tendebat, amœna piorum

Concilia; expertes sceleris culpæque nefandæ

Felices illic animæ, vatūque corona

Sacra, manus Patriarcharum, sacrique nepotes

Omnes inclusi campis pratoque virenti,

Adventum CHRISTI tandem lucemque supremam

Iudicis expectant, ubi corpora digna recenter

Sedibus assument superis, cœlumque subibunt.

Regius hîc vates Iesseia stirpe creatus

Ambiguas cythara pellebat pectore curas,

Semine deque suo, chordis atque ore canebat

CHRISTVM venturum excidio iam sedibus Orci.

Iam vates Daniel jam CHRISTO sanguine junctus

Esaïas, Vatū jam cætera turba piorum

Ordine narrabant MESSIAE secla peracta

Promissi quondam, tacito sub pectore secum

Optantes tandem regno ut succederet imo.

Ecce autem, à longè se optantibus ille ferebat,

Quem cum incundas procul accelerare per herbas

Vidère, exiliunt per amœna vireta sonoros

Plausus fumentes, & dulcia júbila promunt.

Non ita non dura quondam Babylone retenti

Quando illis reditum in patriam perferret ad aures

Nuncius optatum, blandos ad sidera vultus

Patres iactabant, & iúbila tanta ciebant.

Extollunt cum voce manus tenduntque supinas;

Venisti tandem spes sæpe petita tuorum

Expectata diu, spes ô bene fida nepotum,

C

O lux

O lux Abramidum, lux ô gratissima gentis  
Isacidum mortis pallenti harentis in umbra,  
Heu quibus in terris te tot pie CHRISTE periclis,  
Iactatum aspiciamus? quæ causa indigna serenos  
Foedavit vultus? squalentes unde capillos  
Tabifica sanie, barbamque undâ unde fluentem  
Sanguine cum mixto? unde tuo hæc in corpore sacro  
Vulnera quina geris? tantumnè immanibus ausis  
Tamque immane nefas in te posuere parentes  
Primævi, ac horum nati, seriq; nepotes?  
Salve vera DEI soboles, Dux InclYTE vitæ  
Salve permultum, læti gratamur honorem  
Adventus, captos tandem nos fauce leonis  
Eripiens Stygij, cœlestis sedibus aulæ  
Infer, & in lucem è tenebris nos maxime tandem  
Victor & ultor jò tecum super æthera tolle.

Ante alios omnes, sed adhuc perterritus, unus  
Qui primus mortem mala quæque induxerat orbi  
Mali esu toto, collo dans brachia circum  
CHRISTI, perlustrat diras in corpore plagas  
Harens, expleuisse animum, mihi crede, tuendo  
Non valet, illacrymans tandem, magnoque doloræ  
Fractus pauca refert: Si rectè verba parentis  
Aetherei memini, vocemque recordor in horto  
CHRISTE tuam, fuimus tantorum causa malorum  
At solabatur lachrymantem & multa gementem  
Vivifico CHRISTVS verbo, ac ab origine paucis  
Prima rem repetens, memorabat talia voce,  
Quam tu, carpens fructum de fronde, salutem  
Perdideras, omnem moriendo ego restitui rem.  
Vicit jò vicit pietas, cor collige ADAME,  
Vicit iter durum virtus, durosque labores.

Quæ

Quæ nunc pro vobis lacerus crudeliter ora,  
Ossa, manus, plantasque gero, quæ vulnera circum  
In capite, in vultu, atque in toto denique gesto  
Corpore, fecit amor, tanti mihi crede, laboris  
Tantæ molis erat scelus ex stirpare Draconis,  
Captiumque gregem in cælestia regna locare.  
Ne trepidate magis nunc, quin magis agmine facto  
Ocyus addite mî comites vos, prævius ibo.

Rex Erebi postquam turbam stipare per herbas  
Prospexit CHRISTVM tantam, & dare iubila ovantes,  
Exercens iras, furiata mente per antra  
Nigra ferebatur, maiusque minusque fremebat.  
Hic demum, spectacula pijs suavissima visu,  
Hic magis atque magis socios videre trementes  
Lucifugiumque pecus, diros sine corpore fucos.  
Hi trepidis, ceu crabrones, tolluntur in altum  
Alis, præcipites illi rapiuntur ad umbras.

Non procul ex alto pendebant stipite legis  
Divinæ tabulæ, quibus hæc durissima verba  
Legifer ipse sacer digitis insculperat olim:  
Tu mortale genus, venitis ex arbore pomis  
Quando vesceris, tristi damnaberis orco.  
Has, ne damnarent iterum, rursusque dicarent  
Aeternæ morti, precioso sanguine nuper  
Ereptos miseros, celso de stipite flectens  
CHRISTVS: sic Satanus rabido sic intonat ore  
Quid? memini, iustum & verum eum rector olympi  
Se iactans, mortem æternam exitiumque minatus  
Evæ, hinc omne scelus mortalibus esse luendum  
Dixerit esse ratum: legis nunc ecce sacratæ  
Latorem? en sacræ durissima vincula legis?

C 2

En transf.

En transgressores ( digitis monstrabat Adamum  
Euamque ac omnes quicumque deinde sequuntur. )  
Sic decreta manent supremi immota parentis ?  
Nos quoque despectum propter detrusit ad orcum,  
Et iam mortales præ nobis esse beatos  
permittat. quis tot coelestibus esse putaret  
Sensus ? Iusticiæ sic sic nunc vertitur ordo  
Diuinæ ? at contra paucis sic ora resoluit  
**CHRISTVS**, non illum multo dignatus honore:  
Quid ? quæ causa necis nostræ ? non vulnera frustra.  
Spectas, nam quia fraude tua Stygioque veneno  
Capti mortales violârint iussa parentis,  
Ipsè ego nunc horum fortem misertus iniquam,  
In cruce dependens tanto pro crimine pœnas  
Persolvi meritas, placavi sanguine patrem  
Offensum, implevi legem, legisque rigorem  
Morte tuli: neque enim data lex est aspera iustis.  
Tuque tuumque pecus nullo instigante, lubenter  
Aspirans sceptris, stimulis raptusque superbis  
Imperii, aeternum furibunda mente parentem  
Sprevisti, atque ideo stygium es detrusus ad orcum.  
Nec sat erat solus ruere, immutatus in anguem,  
Euam suadendo vetitos ex arbore fructus  
Carpere fraudasti, nec & hoc satis, insuper omnes  
Peccato involvens gaudes onerare nepotes.

Sic ait, excelso Herculeoque irrumpit in illum  
Pectore, Tartareumque quatit cum murmure guttur,  
Quaflat, & ingeminans ictus, iterumque repensat  
Verbera verberibus, nimiumque assultibus angit,  
Exiit illum armis prostratum, atque omnibus illum  
Despoliat telis, mentes quibus illic piorum  
Innoevas plus quam iusto oppugnare solebat,  
At nunc invictas **CHRISTO** Duce, & auspice **CHRISTO**.  
Non fatus Alcmena sic ( si rata fama ) sub antro  
Montis Aventini Cacum prostravit & anxit

Semiferum,

Semiferum, monstri siccas sine sanguine fauces  
Torquens, hostiles repentesque è fauce rapinas.

Non sic Iesides silicem cum pumice fronti  
Iniiciens Goliath sparsa prostravit arena.

Denique perrumpit **CHRISTVS** loca cuncta per **orcum**  
Et super insistens pedibus perfringit adusque,  
Aequans cuncta solo plano, tabulisque litura  
Sanguinea extinctis, illarum mole caput sic  
Tartareum premit, atque aulâ mox exit **Averni**.  
Ille nimis cerebro infracto, fremit ore cruento,  
Vipereumque spuens mixto cum sanguine virus  
Tartareas animæ spiramenta efflat in auras.  
Nunc eat, & nostris infigat spicula plantis.

Ac veluti, errantem dum ad pascua ducere quærit  
pastor ovem, impastus leo ovilia plena pererrat  
(Vesana suadente fame) & rapit ore cruento  
Molle pecus mutumque metu, iam jamque paratus  
Dilaniare, illud raptat mansurus, at idem  
Mox ruit in fauces rabidas, atque eripit agnum.  
Non secus eripuit Stygii nos fauce leonis  
Postor iò noster **CHRISTVS** celoque locavit,

Quo misso, à **CHRISTO** magna cum laude duello  
Gesto, hostis fratrem aggreditur, Lachesisque sorores.  
Monstrum horrendum informe, ingens, **Hecate** atque **Erebo**  
Mors erat, horribilis visu nec amabilis ulli, (ortum  
pallor in ore sedet, macies in corpore toto,  
Viscera nuda gerens, vix ac vix ossibus hæret.  
Tristius haud illa monstrum neque sævius ullum  
Post **Evæ** lapsum, nobis sese obtulit unquam.  
Triste simul tollit senium lætamque iuventam,  
Non minus ac **Irum**, **Cræsum** quoque falce superbum  
Demetit, hanc simul obruere imperterritus audet,  
Nec pedibus quatere absistit, quin sternat & illam  
Victor inexpletum faciat descendere in **orcum**.  
Pòst rigidis etiam parcis sua stamina rumpit.

Ergo jacent prostrati hostes, mors morte perempta  
Perruptoris iners iacet, est inamabilis orcus  
Perfractus, CHRISTI roseo est lex sanguine trincta  
Perfractis tabulis, rabidi quoque rector Averni  
Quasiatus CHRISTI pedibus iacet ager, anhelans,  
Arma superque iacens fremit horridus ore cruento,  
Sed frustra, gaudete piæ gaudete beata  
Gaudia vos animæ, date dulcia iubila, plausus  
Sumite, iò bis terque quaterque sonate, valete.


Sed te CHRISTE modum præter salvere iubemus,  
Qui mundi crimen precio æquivalente tulisti  
Sonus, & humanum voluisti inferre beatis  
Sedibus Elysij genus, & recludere cœlum:  
Nos quoque, cum placitum est, mortali corpore tandem  
Exutos, placidus tecum super æthera transfer.  
Sic nobis etiam salve pie CHRISTE Redemptor,  
Optime perruptor mortis, Stygij Draconis  
Prostrator salve, vitæ Dux Inclyte salve.

F I N I S.









*Id 4212.  
8.*

ULB Halle 3  
002 391 589




*D*


*So*

*Ne*

*Von*







<sup>XIII</sup>  
T V M V L V S

Et descensus ad Inferos, Do<sup>ni</sup>

mini ac Salvatoris nostri IESV CHRISTI,  
Victoris & perruptoris glo-  
riosissimi,

AD

*U 3162*

GENERIS NOBILITATE CLARISSIMUM, ERVDITA  
PIETATE ET OMNI VIRTVTVM  
genere excellentissimum: *Integritate, fide, & autoritate conspiciuum: Amplissimos, eruditione, prudentia & consilijs prestantissimos, Dn. HIERONYMVM à KOCKERITZ in Vvalda: Dn. IOHANNE MOLLERVM questuræ Haynensis prefectum fidelissimum: Dominos Consules totumq; laudatissima Reipub. Haynensis ordinem senatorium, Dominos & Mæcenates suos obseruantissimos.*

HIERONYMVS OPITIVS  
Camicensis,



VVITEBERGAE,  
Typis Zachariæ Lehmanni,  
Anno M. D. XCIII.